

floratore puellæ nobili, vel specialibus donis naturæ ornatæ, quam ignobili, aut deformi; tales enim puellæ, quamvis Dote careant, vel modicam habeant, intuitu qualitatum nobilitatis, pulchritudinis, aut alterius consimilis, ordinariæ æque honesta, et commoda sunt matrimonia acquisituræ, ac aliæ majorem habentes dotem, carentes tamen similibus qualitibus; adeoque cum per injustam deflorationem priventur omni spe acquirendi sic honesta, et commoda matrimonia, possunt de jure etiam in foro externo exigere a Defloratore compensationem illius gravis damni sibi injuste illati, cum omnis injuste damnificans ad æqualem satisfactionem etiam in foro externo teneatur, et ad eam præstandam possit et debeat a Juce condemnari; arg. l. unic. *de Sentent. quæ pro eo*, et c. ult. *de Injur. et Damn. dat.* et c. *Si res aliena caus.* 14. q. 6.

(29. Cæteris paribus, deflorator dives non tenetur plus dare defloratæ quam deflorator pauper. Non enim ob divitias debet aliquis esse deterioris conditionis, aut ob illas ad plus, quam lex præcepit, obligari, cit. autem c. *Si seduxerit 1. de Adult. et Stupr.* plus non præcipit, quam ut injustus deflorator tantam det dotem, quantam (consideratis considerandis) virgines accipere consueverunt. Dos autem, quam virgines accipere consueverunt, regulatur, et mensuratur secundum l. *Cum potest 69. § Gener. ff. de Jure dotium*; ubi sic expresse habetur: « Dotis etiam quantitas pro modo facultatum patris, et dignitate mariti constitui debet, » adeoque deflorator dives non tenetur plus dare puellæ defloratæ quam pauper; Reiffenstuel loc. cit. n. 96. et alii passim. (30. Deflorator pauper non tenetur semper dare tantam dotem, quantam alias puella posset habere secundum suam qualitatem, et opulentiam suorum parentum; sed tantam solummodo, quantam salvo adhuc statu, seu conditione sua, dare potest. Defloratori enim pauperi impossibile est tantam dare dotem, quanta alias ad dotandam puellam divitem, et nobilem a se injuste defloratam requireretur. Ad impossibile autem nemo tenetur; l. *Impossibile 185. ff. de Reg. Jur.* ibi: « Impossibile nulla obligatio est, » et cap. *Nemo 6. de Regul. Jur.* in 6. ibi: « Nemo potest ad impossibile obligari: » adeoque etc. Nec etiam deflorator pauper tenetur tantam dare Dotem, ex quo totaliter deberet cadere a statu, et conditione sua; juxta enim universalia principia restitutionis, nemo tenetur restituere cum totali ruina sui status, in quo existit, nisi forsitan injuste læsus, aut damnum passus esset in æquali periculo, ut communiter sentiunt Doctores. (31. Deflorator tamen pauper, qui quantum tenetur, non habet, debet tantum restituere, quantum interim salvo statu, et conditione sua, potest, cum obligatione supplendi reliquum si ad pinguiorem fortunam venerit; quia præsens impotentia, paupertas, aut defectus mediorum non extinguit omnino, sed tantum suspendit obligationem restituendi æquale, ita ut veniens ad pinguiorem fortunam omnino teneatur, et in

utroque foro adhuc urgeat obligatio; Molina *de Just. et jur. tra. 3. dis. 104. n. 16.* et communis aliorum.

(32. In foro interno dos puellæ per vim, fraudem, seu dolum defloratæ restituenda non regulatur et mensuratur juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt, ut pro foro externo statuatur in cit. cap. *Si seduxerit 1. de Adult. et Stupr.* sed mensuranda est præcise juxta damnum, quod injuste deflorata inde patitur; quia in foro interno de jure humano, naturali, ac divino ante omnem Judicis sententiam requiritur, et sufficit, ut quis tantum restituat, aut resarciat, quantum injuste damnificavit, ut habet communis Doctorum sententia; arg. l. unic. c. *de Sententia, quæ pro eo*, etc. ult. *de Injur. et Damn. dat.* Tenetur igitur iniquus deflorator tantam in foro conscientie dare dotem puellæ inique defloratæ, quanta requiritur et sufficit pro reparando damno, quod ex tali injusta defloratione puella patitur, præcipue ut æque honestum, et commodum matrimonium acquirere possit, quale potuisset secundum prudentis viri judicium acquirere, si non fuisset violata, sive dein hæc quantitas major sit, sive minor Dote, quam talis puella non violata habuisset. (33. Sic Abbas in citat. capit. *Si seduxerit*, et ibi Ancharanus, et communis aliorum. In foro interno, seu conscientie tenetur iniquus deflorator dotem restituere juxta quantitatem damni, etiam in casu, quo Juxd non bene informatus in foro externo ad minorem dotem per sententiam ipsum obligaverit, quia Judicis sententia, quæ solummodo secundum allegata, et probata fieri potest, et debet, non relevat in foro conscientie illum, qui scit, quod revera plus damnificaverit, ut tenet communis Doctorum sententia; arg. l. unic. c. *de Sent. quæ pro eo*, et cap. ult. *de Injur. et Damn. dat.* (34. Etiam in foro interno, seu conscientie ordinariæ plus dotis ab iniquo defloratore restitui debet puellæ nobili, aut specialibus naturæ dotibus ornatæ, quam ignobili, aut deformi, quia ordinariæ honestius, et commodius matrimonium acquirat puella nobilis, aut specialiter pulchra, quam ignobilis, et deformis; et consequenter cum illa patiatur per iniquam deflorationem majus damnum, quam ista, plus dotis etiam in foro interno ante sententiam Judicis debetur illi, quam isti, ut habet communis sententia; arg. cit. leg. un. c. *de Sent. quæ pro eo*; et cit. c. ult. *de Jur. et damn. dat.*

(35. Deflorator non tenetur dotare, nec ducere puellam, quæ libere, sine vi, fraude, vel metu injuste incusso consensit in stuprum se sponte ad id offerendo quia ex Regul. 27. *Juris* in 6: « Scienti, et consentienti non fit injuria, neque dolus; » Lessius lib. 2, cap. 10, num. 9. Pirhing. loco cit. num. 49. Reiffenstuel loco cit. n. 70. Molina tract. 3, disp. 106, n. 10. Barbosa in cap. *Si seduxerit 1. de Adult. et Stupr. n. 2.* (36. Immo neque hoc casu in foro externo cogi potest talis deflorator ad ipsam dotandam seu ducendam, neque ad subeundas alias

pœnas decretas in cit. c. *Si seduxerit 1.* et cit. cap. *Pervenit 2. de Adult. et Stupr.*, quia pœnæ illæ, ut patet ex textu verbis, solum imponuntur ei, qui virginem seduxerit, vel decepit, quod non potest dici de illa, quæ se sponte obtulit, vel consensit, ut patet ex cit. Regul. 27. *Juris* in 6, ibi: « Scienti, et consentienti non fit injuria, neque dolus; » Molina loc. cit. n. 10. Pirhing. l. c. n. 43, et alii. (37. Deflorator neque tenetur in foro interno dotare, seu ducere puellam, etiamsi illam suasionibus, seu blanditiis, vel precibus etiam importunis, aut assiduus, vel muneribus induxerit ad consensum in stuprum, dummodo sine ulla vi, fraude, vel minis id fecerit; Molina cit. disp. 106, n. 1. Less. cit. c. 18, n. 4. Lugo to. 1, disp. 12, sect. 1. Vasquez c. 3, § 2, dub. 1, n. 4 et 5. Pirhing. l. c. num. 50. Reiffenstuel l. c. n. 106, et alii passim. Et ratio est, quia cit. c. *Si seduxerit 1. de Adult. et Stupr.* quod quemlibet seducentem, et consequenter importunis precibus, blanditiis, vel muneribus instantem, et allicientem obligat ad dotandam, vel ducendam puellam defloratam, non obligat ante Judicis sententiam, quia cum sit lex pœnalis in odium seductionis lata, externamque pœnæ executionem requirat, ante sententiam Judicis in foro interno non obligat arg. cap. *Cum secundum, de Hæret.* in 6. (38. In foro tamen externo talis deflorator tenetur dotare, vel ducere puellam importunis precibus, blanditiis, et muneribus defloratam; Gonzal. in c. d. *Si seduxerit 1. de Adult. et Stupr.* Navarr. in *Manual.* c. 16, n. 17. Reiffenstuel l. c. n. 72. Guttierrez l. *Canon. gg. q. 37, n. 15.* citans communem, et Vasquez de *Restit.* c. 3, § 2, dub. 1, n. 6, et Pirhing. l. c. n. 50, dicunt, hanc sententiam, utpote miseris puellis favorabilem, esse consulendam; et colligitur clare ex cit. cap. *Si seduxerit 1. de Adult. et Stupr.* ubi ad dotandam, vel ducendam virginem obligatur omnis ille, qui seduxerit virginem, et dormierit cum ea: atqui importunis precibus, blanditiis, et muneribus inducens puellam ad consentiendum copulæ, vere eam seducere censetur; l. 1, c. *de Raptu virgin.* ibi: « Nisi sollicitaverit: » ergo, etc.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Quæstio hic est non incongrua, an Pater teneatur Dotem dare filiæ nuptiæ sine ejus consensu, si vir scripserit Tertio mediator, quod duceret Uxorem sine Dote, modo pater acquiesceret. At vide omnino Rot. in *Romana Dot.* 19 Aprilis 1723, cor. clar. mem. Corio.

(40. Nec importune disputari potest, an Pater iterum teneatur dotare filiam, si ejus culpa dos constituta, et soluta primo Marito, perierit? Et quid si interim paternum patrimonium fuerit diminutum? Sed et consulendum de hac quæstione idem supremum Tribunal Rot. in *Romana Dotis* 11 Junii 1726, cor. clar. mem. Calcagnin.

(41. Nota, quod in illis locis in quibus virum inter et uxorem viget communio bonorum, mater non in subsidium, ut ait Au-

ctor, sed æque principaliter, ac pater Dotem constituere tenetur filiæ: Gron. *Øvveg de Leg. abrog.* ad leg. 14. *Cod. de Jur. Dotis.* Strykius in *Usu modern. Pandect.* libr. 23, tit. 3, § 6.

ADDITIO CENSORIS THEOL.

Addenda hic censuimus, quæ contra deflores, sive stupratores et stupratas puellas pro Urbe Romana sancivit Clem. XII, per edictum Cardinalis ipsius in Urbe Vicarii publicatum die 13 Septembris anno 1736, in quo pœnæ decernuntur, quibus in deflores, defloratam virginem, ejusque parentes, si aliquo modo in causa fuerint stupri secuti, lenones, aliosque, quorum ope usus fuerit stuprator, animadvertendum sit.

(42. Ac primo quidem statuitur, ut in suo vigore manentibus pœnis, quas in similes delinquentes sacri decreverunt Canones, stuprator pœnæ quoque corporis afflictivæ subiciatur, quæ extendi quoque possit etiam ad trirèmes, si deflorator Laicus fuerit, et ad ergastulum aut relegationem, Judicis arbitrio, si fuerit Clericus, juxta diversas casuum circumstantias, gradus, et conditionis, præsertim juxta diversam fraudem, et seductionem adhibitam.

(43. Stuprata autem Puella pœnæ quoque corporis afflictivæ subicitur, quæ extendi etiam possit Judicis arbitrio ad carcerem usque, pro diversis circumstantiis casuum, gradus, et conditionis, et præsertim juxta majorem, minoremve fraudem, et seductionem, quam passa sit, vel adhibuerit deflorata Puella.

(44. Decernitur præterea, ut dum stuprum secutum sit ex spe et promissione futuri matrimonii, deflorata Puella actionem habere non possit in deflores, ut promissum adimpleat, nisi coram Juce legitimo, et omnino concludenter probaverit obligationem defloratoris ex illa promissione contracta; firma tamen remanente quacumque alia actione, quam puella in deflorantem habere possit. (45. Declarat vero legitimam atque concludentem probationem satis non esse ad cogendum deflores ad matrimonium ineundum quod promiserat, quoties inter contrahentes tanta sit conditionis disparitas, ut ex tali matrimonio magnum secularum esset scandalum, et familiæ ignominia. (46. Eo tamen in casu deflorator nequitiam absolutus declaratur ab obligatione, quam habet, compensandi damna, etc.

(47. Quantum ad Puellæ Parentes, consanguineos, aliosque, quibus vel naturæ jure, vel positiva aliqua lege ejusdem puellæ cura, et educatio concedita sit, et ad quos pertineat de stupro secuto causam ad Jucem deferre, et accusare, dum rei probentur aut lenocinii, aut conniventie, statuitur, ut actionem omnino amittant petendi dotem nomine defloratæ (intacto tamen remanente jure, quod huic competat) et aliam quamcumque actionem, quæ eorum favori intentari posset pro damnis, et interesse; atque decernitur, in hujusmodi casibus quidquid damnum et interesse deberetur delinquentibus, quod Judicis arbitrio taxandum est,

juxta diversas circumstantias a Fisco exigendum esse, et ab eodem pro arbitrio in pios usus erogandum.

(48. Quoniam vero antedictæ compensationis amissio culpæ proportionata non esset, nisi condigna punitio ulterius accederet; propterea pœna afflictiva corporis contra eosdem stabilita est, et pro gravitate delicti ita inviolabiliter observanda præscribitur.

(49. Patres, Matres, Fratres, alique, ad quos spectet cura, et custodia puellarum, dum rei aperti lenocinii probentur, pœnæ subjiciuntur carceris decem annorum, juxta diversitatem sexus. (50. Si vero non aperti lenocinii, sed solius conniventiae rei fuerint, trirēibus, aut respective carceri subjiciuntur, septem annorum pro Judicis arbitrio, qui pro diversitate casuum, et personarum, pœnam decernet simplici negligentiae debitam.

(51. Servi vero, Ancillæ, Familiares, alique stipendio conducti homines, quorum ope, auxilio, aut consilio, stuprum secutum sit, vel trirēibus pro septem annis, vel carceri ut supra, subjiciuntur; atque omnes generaliter, (52. licet domestici non fuerint, si lenocinii rei convincantur, quinque annis carceris vel trirēis pœna puniuntur; arbitrio tamen Judicis committitur pœnam ad majus quoque tempus extendere, juxta diversas circumstantias casuum, etc.

(53. In omnibus autem supradictis casibus conniventiae, vel lenocinii rei, antequam ad trirēes mittantur, vel carceribus detrudantur, per Urbem circumduci debent cum Mitra, et infamiae cartam ferentes, in qua sit eorum conscriptum delictum, ut fieri in iis solet, qui fustigatione puniuntur.

ARTICULUS III.

Dos quoad ejus reversionem, seu restitutionem soluto matrimonio, et facultatem eam repetendi constante matrimonio.

(1. Soluta Matrimonio per mortem naturalem mariti, dos adventitia est integra restituenda uxori, textu expresso in leg. ult. Cod. *soluta Matrimonio*, et leg. unic. § *Accedit*, Cod. *de rei uxori. Action.* juncto c. *Donatio* 8, de *Donationibus inter vir. et uxori.* Est communis. (2. Dos profectitia tamen redit una cum dote ad dotantem, si dotata adhuc est in potestate dotantis; cit. leg. unic. Cod. *de rei uxori. Action.* Ipse tamen dotans tenetur eandem dotem prius dotatæ iterum dare, si alteri nubat; Authent. *Sed quamvis* cit. leg. unic. *de rei uxori. Action.* (3. Si autem uxor jam est emancipata, vel si adsit statutum, aut consuetudo, ut proles statim ac nubunt, hoc ipso emancipatæ habeantur, dos est restituenda uxori citat. leg. ult. Cod. *soluta Matrimonio* et l. unic. Cod. *de rei uxori. Action.* Et ratio est, quia quando filia est emancipata a Patre, Pater ipse in ordine ad eandem habetur pro extraneo, cum illam non habeat in sua potestate, per textum in d. l. unica § *Extraneum*, Cod. *de rei uxori. Action.* Statim enim ac filia est emancipata, intelligitur absolute, et simpli-

citer recta domina illius dotis per textum in d. l. unica § *Videamus*, Cod. *de rei uxori. Action.* adeo ut facta vidua possit de illa disponere per ultimam voluntatem, etiam absque patris consensu; Joann. Angel. Bossius *de Dote* cap. 3, num. 270. Gabriell. consil. 16, num. 35, et sequent. lib. 1, et alii passim.

(4. Soluta Matrimonio per mortem naturalem uxoris, nullis ex illa extantibus liberis, dos profectitia de jure communi revertitur ad patrem, si filia nondum fuerit emancipata, textu expresso in l. *Succursum*, ff. *de Jur. dot.* ibi: « Jure succursum est Patri, ut filia amissa, solatii loco redderetur ei dos ab ipso profecta, ne et filiae amissæ, et pecuniæ damnum sentiret, » et l. *Dos a patre*, Codic. *soluta Matrimonio*, ibi: « Dos a patre profecta, si in Matrimonio decesserit mulier filiafamilias, ad patrem redire debet. » Dicitur autem notanter *de Jure communi*, quia de jure municipali diversimode res se habet in diversis Provinciis, et locis. Alicubi enim cautum est, ut si uxor per annum vixerit cum marito, et postea moriatur maritus, acquirat ex integro dotem; alicubi, ut acquirat solummodo medietatem, et alia medietas redeat ad dotantem parentem; alicubi, ut maritus non existentibus communibus liberis, præmortua uxore jam ad maritum traducta, vel Matrimonio per copulam carnalem consummato, lucretur dotem datam, et promissam, ut refert statutum Mediolanense in cap. 298. vol. 1. et aliter alibi. Unde circa hoc attendi debet cujusque loci jus municipale, et consuetudo, quæ est optima legum interpret leg. 37. ff. *de Legibus*, et cap. *Dum dilectus* 8. de *Consuetudine*. (5. Si vero filia fuerit emancipata, tunc præmortua filia ipsa, dos non revertitur ad patrem dotantem, sed transit ad hæredes ejusdem filiae ab intestato, textu expresso in d. l. unica, § *Videamus*, Cod. *de rei uxori. Action.* ibi: « Si parens dote pro filia, vel nepti præstita emancipaverit eam, vel ipsa decesserit, rei uxoriæ actione dotem omnino ad mulierem pertinere, etiamsi fuerit exhæredata; » Camillus Borellus in summa decis. tom. 3. tit. 4. num. 199. Vincentius in l. *Post dotem* num. 31. ff. *soluta Matr.* Angelus Bossius tract. *de Dote* cap. 3. num. 168. et alii passim.

(6. Dos adventitia, mortua uxore, de jure communi non transit ad maritum; arg. cap. *Mulieres* 1. de *Donat. inter virum et uxorem*; Dos enim adventitia pleno jure pertinet ad ipsam uxorem, adeoque, ipsa mortua transit ad ejus hæredes ab intestato; l. *Avus* 49. ff. *de Jure dot.* Boschejus *de Legit. nuptiis* lib. 4. num. 11. vers. *Unde apparet*; Baldus Novellus *de Dote part.* 8. privil. 10. n. 11. Rosign. *de Dotè* tom. 2. contr. 19. prænot. 2. num. 5. et alii. Et ratio est, quia sistendo in jure communi, maritus eatenus gaudet dote, ejusque fructibus, quatenus perseverat Matrimonium, ejusque onera sustinet; quo Matrimonio, ejusque oneribus cessantibus, dos adventitia ad eos transit, quibus de jure comœtit: leg. unica § *Procul dubio*, ff. *de*

rei uxori. Action. Fachineus contrav. 35. § 2. lib. 6. Rosignol. loco cit. Reiffenstuel. lib. 4. *Decretal.* tit. 20. num. 76. et alii. (7. Sic etiam dos a stupratore constituta filiae stupratæ, pereunte ipsa stuprata, non revertitur ad stupratorem, sed transit ad hæredes ejusdem stupratæ. Et ratio est, quia illa dos in pœnam consummati delicti facta est pleno jure ejusdem fœminæ stupratæ, arg. c. *Si seduxerit* 1. de *Adulter. et Stupr.* Panormitanus in dict. cap. 1. de *Adulter. Farinacius de Delict. carn.* quæst. 147. § *Dos* num. 112. Joann. Baptista Lupus tract. *de Illegitim. et natur. lib.* comment. 1. § 1. n. 125. vers. *Et ista dos*; Molina *de Just. et Jur.* tract. 3. disput. 104. vers. *Justa*. (8. Eadem ratione dos constituta per raptorem filiae raptæ, mortua ipsa rapta non revertitur ad raptorem, sed pleno jure transit ad hæredes ejusdem raptæ; Thesaurus decis. 217. n. 6. in fin. Cancerus in tertia parte variar. resol. cap. 11. de *Sponsal. et Matrimon.* num. 24. Sanchez *de Matrim.* leg. 7. de *Imped.* disp. 13. num. 1. Bajardus in addit. ad Julium Clarum in § *Raptus* num. 35. Rosignol. loco cit. numer. 7. et alii. (9. Item dos constituta a viro sene et ignobili uxori juveni et nobili, in compensationem juventutis, et nobilitatis, non revertitur ad ipsum dotantem, sed transit ad hæredes ejusdem fœminæ, Ripa in leg. *Fœmina*, num. 44. C. *de secundis Nuptiis*, Surdus cons. 471. num. 29. liber 4. Stephanus Gratianus *Discept. foren.* cap. 984. num. 9. Lupus in rubr. *de Donatio. inter vir. et uxori.* § 5. numer. 35. in fin. et alii.

(10. Soluta Matrimonio quoad vinculum viventibus adhuc contrahentibus, v. gr. per impedimentum dirimens, cum quo ignoranter contraxerunt, dos integra restituenda est uxori putativæ; arg. cap. *Mulieres* 1. de *Donat. inter vir. et uxori.* et ibi Glossa verb. *Licita*, et communis Doctorum. (11. Dicitur autem notanter *ignoranter*, quia contrahentes scienter cum impedimento dirimente, amittunt quidquid unus alteri dedit, dotem scilicet, et donationem propter nuptias, Fisco totum acquirente, nisi minor ætas excuset, textu expresso in l. *Qui contra* 4. et Authent. *Incestas nuptias*, Cod. *de Incestis nupt.* et ibi Glossa verb. *Licita*. (12. Si Matrimonium ex licita causa separatur, quia v. gr. Maritus cum uxoris consensu ingreditur Monasterium, aut suscipit Ordines, tota dos est restituenda uxori, textu expresso in cit. cap. *Mulieres* 1. de *Donat. inter vir. et uxori.* ibi: « Mulieres cum pro aliqua licita causa a propriis viris fuerint separatæ, totam dotem præcipimus sibi reddi, » et ibi Barb. num. 5. et communis aliorum. (13. Si vero Matrimonium separatur quoad torum per Ecclesiæ judicium, ratione alicujus culpæ contrahentium, tunc si talis separatio, seu divortium fiat ex culpa Mariti, dos est restituenda uxori, arg. cit. cap. *Mulieres*; si autem fiat ex culpa uxoris, v. gr. ob ejus adulterium, ipsa perdit dotem, eaque accrescit Marito; cap. *Plerumque* 4. de *Donat. inter vir. et uxori.* ibi: « Si mulier ob causam for-

nicationis judicio Ecclesiæ, aut propria voluntate, a viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem, vel dotalitium repetere non potest, » et concordant leg. *Consensu* 8. de *Repudiis*, et *Novell.* 117. c. 8. et 9.

(14. Dissoluto Matrimonio, non tantum integra dos, sed etiam dimidia pars omnium illorum bonorum, et lucrorum, quæ constante Matrimonio ambobus conjugibus simul, ac utriusque intuitu obvenerunt, v. gr. hæreditate, legato, donatione, negotiatione, emptione ex utriusque pecuniis, aut bonis facta, debet a Marito restitui uxori, seu ejus hæredibus textu expresso in cap. *Significavit* 2. de *Donat. inter vir. et uxori.* ibi: « Quæ ipsius dum simul viverent conjusculumque contractus titulo communiter obvenerunt.... ad divisionem eorum compellatis; » Barbosa ibidem num. 6. cum communi aliorum. (15. Illa autem bona, et lucra, quæ constante Matrimonio uni conjugi in specie, et intuitu illius solius obvenerunt, v. gr. hæreditate, legato, donatione, etc., non debent dividi inter conjuges, sed integra remanent ut propria illi soli conjugi, cui soli legata aut donata sunt. (16. Certa, et communissima. Sic illa lucra, quæ omnia solius viri industria, studio, labore, officio, arte, etc., constante Matrimonio acquisita sunt, ut lucra, quæ faciunt Officiales, et Ministri Principum, Advocati, Medici, Consiliarii, Judices, etc., soli viro, ejusque hæredibus remanent, nec quidquam de iis, debetur uxori aut ipsius hæredibus; Est communis cum Barbosa in cit. cap. *Significavit* numer. 5. et Gonzal. ibidem num. 5. Guttier. lib. 2. pract. quæst. 118. numer. 5. Nullo enim jure nec civili, nec Canonico statutum reperitur, quod de hujusmodi bonis quidquam uxori restituatur.

(17. Constante Matrimonio, si Maritus culpa sua ad inopiam vergat, ita ut evidenter constet facultates ejus non sufficere ad assecurandam dotem, vel certe esse periculum illius, potest uxor repetere dotem suam, textu expresso l. *Si constante* 24. princip. ff. *solut. Matrim.* et l. *Ubi adhuc* 29. c. *de Jur. dot.* dummodo tamen non maneat penes uxorem, sed detur cuidam mercatori, aut alicui securæ, et licitæ negotiationi, ut inde honestum lucrum haberi, et onera Matrimonii sustentari valeat; arg. cap. *Per vestras* 7. de *Donat. inter vir. et uxori.* et ibi: Barbosa n. 7. Engel lib. 4. decret. tit. 20. num. 9. Surdus *de Aliment.* tit. 9. qu. 40. num. 37. et alii passim. (18. Si autem in tali casu dos uxoris fidejussione, aut alia cautione sufficienter assecurari potest, tenetur uxor arbitrante Judice acceptare. Sic contra communem Legistarum communior Theologorum, et Canonistarum, teste Haunoldo tract. 4. cap. 5. contrav. 6. num. 399. arg. cit. cap. *Per vestras* 7. de *Donat. inter vir. et uxori.* ubi Innocentius Tertius Summus Pontifex mandat Archiepiscopo, et Archidiacono Genuensi, tamquam Judicibus, ut in casu præfati periculi dotem Marito sub cautione sufficienti relinquunt, vel alicui securæ, et licitæ negotiationi, seu Mercatori ad hone-